

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
MIRABILI LACTIS ASININI
IN MEDENDO VSV

QVAM

PROPITIO NUMINE DIVINO

SVB PRÆSIDIO

DN. FRIDERICI HOFFMANNI

FACVLTA-TIS MEDICÆ SENIORIS ET h. t. DECANI

PRO GRADV DOCTORIS

RITE OBTINENDO

AD D. *JVLII A. O. R. MDCCXXV.*

H. L. Q. C.

SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SISTET

IOANNES ADAMVS PHILIPPVS *Burggraff,*

BREMENSIS, MEDICINÆ PRACTICVS.



HALÆ MAGDEBVRGICÆ, Typ. Jo. Christiani Hilligeri, Acad. Typogr.

ISSERT ATIO INAVITIA MEXICA

MIRABILIA VITAE ASSINI

IN BELGICIS VBI

DE VITAE ASSINI

DN. FRIDRICH HOFFMANNI

AD VITAE ASSINI

IOHANNES DE WITTE



IN AMSTELÆDAMI, (1774) IN CUIUS TYPIS ET CURA





Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
MIRABILI LACTIS A-
SININI IN MEDENDO
VSV
PROOEMIUM.



Remedia simpliciora, para-
biliora & velut domestica, cum
in persanandis, tum tempestive
praescindendis, variis morborum
generibus, omnia sic dicta com-
posita, artificiose concinnata &
concentrata pharmaca, non modo
securitate, sed & virtute ac efficacia, longe multumque
antecellere: nemo facile rectius intelligit, quam qui in
artis salutaris exercitio diu cum cura versatus est. Sane,
si praecleara antiquissimorum Medicorum monumenta e-
volvi-

volvimus & curatius excutimus: eosdem medicamini-
 bus simplicissimis & paratu facillimis, naturæ amicis &
 ita dictis diæteticis, magis alimenti, quam medicamen-
 ti vires obtinentibus, plus detulisse & reipsa præstitisse,
 omnino deprehendimus, quam recentioris ævi Chymia-
 tros, chymico igne excoctis, activioribus pharmacis &
 pretiosis arcanis. Hæc, enim nisi summa adhibita cauti-
 one & prudentia administrantur, magis ad nocendum,
 quam ad juvandum, parata sunt atque disposita: eamque
 ob causam, merito valde infecura censenda, & domesti-
 cis minus ancipitibus longe sunt postponenda. Constat
 quidem subtiliori Chymix sua laus & haud tralatitia com-
 mendatio, ad perscrutandas maxime rerum naturalium
 mixtiones ac vires; laudanda quoque in eo est quorundam
 Chymiatrorum contentio, quod paucis guttulis & exi-
 gua mole ægrotantium fastidia levare annisi sunt: sed
 profecto, quum penitus ferme reiectis diffusioribus &
 sic dictis Galenicis medicamentorum formulis, ipsisque
 diæteticis, a Veteribus tantopere laudatis præfidiis, ne-
 glectui datis, ex Chymia petitis, in avertendis & debel-
 landis morbis, nimium indulserunt; factum utique est,
 ut praxis medica nostra ætate, longe periculosior sit ve-
 teri, funestisque plurimis exemplis subinde infametur.
 Ego vero hanc semper animo imbibi sententiam: ad fe-
 licem & auspiciatum in arte salutari finem obtinendum,
 necessarium esse, ut theoria cum praxi, veteres cum re-
 centioribus, remedia Galenica & domestica cum chymi-
 cis, perpetuo coniungantur. Quippe, longa demum &
 multiplici experientia reperi & annotavi, remedia, quæ
 & alimenti, & medicamenti, vi instructa sunt, tanquam affi-
 nia

nia & blanda corpori nostro, in morbis curandis & præcavendis, non modo securissima esse, sed etiam efficacissima. Et horum usum ac genuinum adhibendi modum, ex veterum monumentis, longe melius, quam ex recentiorum libris hauriri posse & addisci, idem tamen iis, quibus antiqua non sordent, apprime cognitum est. Præclaro imprimis & luculento huius rei exemplo est lac asininum, quod, licet a priscis Medicorum mirifice laudatum, & in expugnanda gravissimorum morborum contumacia utilissimum deprehensum fuerit; plurimos tamen ex recentioribus, etiam magni alias nominis Medicis, præstantissimæ hæc dotes latent, eamque ob causam, exoptatum hoc sanitatis præsidium, vel parcius in utum medicum traxerunt, vel eodem uti plane non aucti sunt. Nos itaque & solida ratione ducti & multiplici experientia edocti, præsentis specimine nobilissimum læctis asinini usum eiusque virtutes plane mirandas, velut ex ignorantia tenebris iterum in lucem proferre, & ad pristinum splendorem postliminio quasi revocare, apud animum constituimus. Cui labori, ut Summum Numen benignissimam suam gratiam largiatur, est quod humillime efflagitamus.

§. I.

Prius vero quam ad institutum nostrum exsequendum paullo propius accedamus; e re visum fuit, ostendere in genere: quod omne lac alimentum sit maxime medicamentosum, sive, quod eidem, præter eximiam nutrientem facultatem, singularis & admiranda plane virtus insit medicinalis; ob quam meri-

eo, nec sine gravi ratione, ad medicos usus commendari queat. Et nutritivam quidem lactis efficaciam, eo minus ulli dubiam fore credo, quo magis inter omnes, vel proprio cuiusvis exemplo, constat, lac corporis nostri alimoniam, si quid aliud, convenientissimum esse & quam maxime accommodatum. Etenim foetus, uteri ergastulo adhuc inclusus, lacte, in secundinarum compage elaborato, nutritur & augetur. In lucem deinde editus, lactis beneficio firmitatem nanciscitur, ad perfectionem sensum deducitur, omnesque eius internæ partes tantum roboris inde sortiuntur, ut alimenta alia assumpta subigere, digerere & in lacteum succum, chylum scilicet, convertere possint. Ac denique quilibet homo, quousque vita fruitur, chylo, ex alimentis digestis & solutis extracto, qui non nisi lac est, nutrimentum accipit & vigescit. Quin immo lac est, quod non modo sanguinis, sed & omnium quæ vitam fovent ac sustentant liquidorum, pabulum & materiam suggerit.

§. II.

Quemadmodum igitur lac in alimentorum classe principem obtinere locum, certum ac manifestum est: ita non minus primas in remediorum censu meretur. Quod, licet non adeo omnibus cognitum sit atque perspectum: facili tamen negotio probari potest ac demonstrari. Vt enim ab experientia, optima rerum magistra, omnibusque subtilissimis ratiocinationum speculationibus superiori, ordiamur: nemini certe, vel levi brachio in artis medicæ cultura versato, obscurum esse poterit: lac omnium propemodum animantium, excellentem & prodigiosam sere, adversus potentissima, corrosiva maxime

xime & funestis exemplis penitus infamata, tam ex mineralium, quam animalium & vegetabilium sic dicto regno, petita venena, contemperanda, cicuranda & infringenda, vim possidere: quæ tanta est, ut quilibet toxico infectus, lactis, tempestive, convenienti tempore, modo & quantitate hausti usu, præsentaneum interitum effugere & omni periculo eripi possit; eamque ob causam merito dubitandum sit, an, præter lacteum humorem, tam prompta tamque excellens antidotus, in universa rerum natura deprehendatur & æquali facultate splendescat. Et hanc certissimam lactis adversus venenorum noxam virtutem, dudum iam veteres & primi Medicinæ & materiæ medicæ auctores perspexerunt & prodiderunt. Inprimis DIOSCORIDES, antiquissimus medicinalis materiæ scriptor, Galeno teste, nulli secundus, *lib. II. de mat. med. cap. 77.* ita disserit: *lac autem, recens etiam, efficax est contraresiones & inflammationes, a medicamentis exitiabilibus factas, uti a cantharide, pityocampa, salamandra aut bupreste, auripigmento, dorycnio, aconito aut ephemero.* Id quod etiam PLINIVS, *hist. natur. Lib. XXIX. Sect. 21. & 33.* totidem fere verbis testatur.

§. III.

Si morbos ipsos dispiciamus, amplissimus pariter lactis in iis est usus & incomparabilis utilitas, quam unanimi suffragio, testimoniis & exemplis luculenter adstrunt, cum præcis Medicorum HIPPOCRATE, GALENO, CELSO & ARABIBVS, neotericorum quidam. Patebit hoc uberius in sequentibus nobilissimo lactis asinini exemplo; in præsentiarum autem suffecerit allegasse MARTIANVM, *Comment. in Hippocr. lib. I. de morb. mul. p. m. 205.*

m 205. perhibentem: antiquitus lac fuisse veluti sacram anchoram & omnium remediorum caput; ita, ut vix ullus morbus effet, in quo lac non administraretur. Eandem quoque in rem pulchre non minus quam ex vero *Io. Iac. WEPFERVS*, probatissimus auctor & gloriam Helvetiorum Medicorum quam maxime exornans, in epistola ad *Verzascham* scribit: certe, divini aliquid in lacte latet. Antehac nunquam credidissem, nisi id sensibus comperissem. Vidi his meis oculis, quasi novos homines inde factos fuisse. Nam legitimo eius usu, habitum firmiorem, colorem nitidiorem & vires robustiores plurimi acquisiverunt.

§. IV.

Ut autem in genere lacti animantium, quæ in usum maxime œconomicum cedunt, ut bubulo, ovillo & caprillo eximia medicamentosa facultas insit: attamen asininum lac, *PLINIO*, *l. c. sect. 33.* teste, omnium est efficacissimum, & virtute reliquas lactis species in medendo longe exsuperat, ita prorsus, ut neque tam securum, neque præstantia & efficacia tam excellens remedium, ullibi sit reperiendum. Hoc enim opportuno tempore, debita quantitate & convenienti cum regimine exhibitum, phtisicis, hæcticis, marasmo & febribus lentis tabescentibus, tussi chronica & atrophia scorbutica laborantibus, hypochondriaco & hysterico malo afflictis, spasticis pathematibus detentis, viscerum exulcerationi & morbis ab erosione salino-acri proficiscentibus implicitis, summo auxilio est atque præsidio. Quare dignum omnino mihi visum fuit hoc potissimum lactis genus, quod præ cæteris eligerem, meditationi subiicerem, cuius vires

vires eruerem, utilitatem demonstrarem ac testimoniis & exemplis confirmarem.

§. V.

Cur vero asininum lac, aliorum animantium lacti in medendo sit praferendum, primo omnium ratio erit reddenda. Quo ut eo facilius & felicius defungar, supponenda prius & statuminanda erunt nonnulla, de lactis mixtione eiusque ingredientibus, tanquam operationum fontibus. Videlicet res vulgo notissima est: omne lac ex diversa triplici substantia, quarum quaelibet discrepantem facultatem & proprias vires obtinet, conflatum esse. Prima est fluida portio, quae feri nomine effertur. Altera est oleosa pinguis, quae in supernatante cremore sese conspiciendam praebet, & ex qua butyrum elaboratur. Tertia est crassior, terrea & mucilaginosa textura, ex qua caseus coagulatur & conficitur. Serum, sive aquea portio, reliquas omnes quantitate superat, ita, ut pro differentia lactis, nonnunquam octo vel decem fluidi partes, & una tantum solidi, in eo contineantur. Butyrofa oleosa pinguis materia, levissima est & parcissima, naturae inflammabilis. Et caseosa denique indolis est fixioris & gravioris, quae ab acido facile densatur, in casei speciem coit fundumque petit.

§. VI.

A triplici hac & differenti lac constituentium ingredientium natura ac indole, omnis omnino lactis, in quibusvis morbis, tam arcendis, quam debellandis, virtus repetenda est ac derivanda. Etenim quodcumque lac tenue est ac liquidum multumque feri alit, illud & humectandi, & diluendi, & abstergendi, & laxandi fa-

B cul-

cultate præ reliquis commendabile est. Vicissim, quod gravius est, multumque caseosæ, crassioris materiæ fovet, incrassandi, constipandi, adeoque rupta vasa consolidandi efficacia maxime splendet. Id autem, quod multum cremoris butyrosi, nec non largum caseosæ substantiæ apparatus complectitur, emolliendi, demulcendi, inviscandi & nutriendi facultate conspicuum est. Iam si diversas & quæ communioris ac recepti usus sunt lactis species lustramus, humanum omnium dulcissimum & tenerioris caseos est, plurimumque pinguis substantiæ obtinet, eamque ob causam eximie nutrit & naturæ humanæ est accommodatissimum. Bubulum pinguius est, multumque etiam terrei & minus feri habet, ideoque minor in eo vis abstergendi est, tanto autem maior leniendi, temperandi & nutriendi. Ovillum omnium crassissimum & caseosa terrestri mucilaginosa materia fœtum est: unde, teste HIPPOCRATE, minus detergit, conglutinandi autem vasa læsa & ab humorum acrimonia crosa, sive sanguinea, sive lymphatica, utilitate excellit. Caprillum parcius sero imbutum & crassioris tantisper consistentiæ & adstringentis naturæ est, minus butyri largitur, meliorem tamen adhuc bubulo, absterforiam facultatem obtinet.

§. VII.

Hæc autem diversa in lacte ingredientium proportio, & inde dependens quoad operationem & usum differentia, non tam pabulo, quo vescuntur animantia, de quo inferius latius agemus, quam potius diversæ corporum, quæ lac præbent, texturæ & conformationi tribuenda est. Etenim licet singula animalia lactaria eodem

tem-

tempore, eodem modo eodemque alimento nutriantur; non tamen unius eiusdemque indolis lac fundunt, sed quodlibet proprium & peculiare concedit. Id quod luculento utique est documento, pabuli materiam & naturam ad lac conficiendum non solam sufficere, sed diversam animantiam naturam, quæ nonnisi a dissidente fluidorum, sanguinis nempe & reliquorum humorum varia crasi, mixtione & textura, nec non solidorum, maxime glandularum: mammariarum, quæ e minimis vasculis conflata sunt, fabrica, structura & constitutione petenda est, concurrere maximumque conferre momentum.

§. VIII.

Iam si medicamentosam asinini lactis facultatem eiusque indolem sigillatim perquirimus, istud multis peculiaribus splendere dotibus deprehendimus, quæ id singulari quadam & eminente salubritatis nota insigniunt. Nimirum ea asinini lactis propria laus est, quod præ reliquis tenue, aquosum sit & seroso humore abundet: id quod dudum iam cum ARISTOTELE *lib. III. hist. anim. cap. 20.* animadvertit GALENVS, qui *lib. X. de simpl. facult.* nec non *lib. VI. de sanit.* lac asininum vocat λεπτομερέςαιον, tenuissimarum partium. Quare quum in confesso sit, plerosque morborum origines ducere ex humorum tenacitate & spissitudine, qui, dum ægrius per minima vasculorum, e quibus præcipua emunctoria & colatoria glandularum organa coagmentata sunt, transeunt, his in angustiis subsistunt easdemque infarciunt, & sic obstructions gignunt: in proclivi est iudicare, lactis asinini serosa & fluida materia largiter scatentis, ad reseranda obstructorum repagula, spissiores & viscidos in

corpore succos attenuandos, fluxiles reddendos & in motum redigendos, usum esse saluberrimum. Similiter quum in propatulo sit: permultas ægritudinum acri, falsa & vellicanti humorum constitutioni ortum debere; non minus luculenter patet, lac asininum, multo sero & humido dilutum, huic diluenda, temperanda ac obtundenda apprime ex usu esse: licet non negandum sit, quod in exsequenda saluberrima hac efficacia, oleosum ac dulce simul succurrat elementum, quod interfertas salinas acies involvit & cicurat, quo sic attemperati crudi & male cocti succi, accedente liberalioris feri vehiculo, promte per vasorum excernentium emissaria eliminantur.

§. IX.

Altera, qua lac asininum dotatum est, prerogativa, in eo constituenda & quærenda est, quod parum caseosæ & crassioris substantiæ alat. Etenim octo primum lactis asinini uncias carbonibus vivis in patina ampliori imposuimus, & post omnimodam feri exhalationem, vix sex drachmas materiæ albescentis dulcis collegimus. Cepimus deinde eiusdem lactis libram medicam, quæ duodecim uncias æquat, & in vase clauso, ad dimidias repleto, ut coagularetur seposuimus. Elapso triduo, ad fundum secessit candidissimum ac tenue coagulum, quod colata per chartam bibulam a sero liberatum & penitus postea exsiccatum, pondere vix ad drachmas duas accessit, reliqua substantiæ solidioris parte, partim unacum sero per cribrum transeunte, partim filtri vasorumque parietibus firmiter agglutinata ipsaque sub operatione dispereunte. Contra vero idem vaccini lactis pondus, eodem modo tractatum, in longe crassius & ponderosius

fius

fius coagulum densabatur, quod transmissio per filtrum liquido, insolatum & ad lancem expensum, decem drachmarum gravitatem exhibuit. Quo manifestatur perexiguum, comparatione cum aliis lactis generibus facta, esse caseosa crassioris substantiae in lacte asinino apparatus, eoque ipsi peculiarem commendationem accedere. Quippe facilius ad extremas venarum angustias pertingit, succos vitales intimius perluit, lentos humores citius eliquat, inertes & impactos attenuat, solutosque promitius everrit.

§. X.

Accedit tertio & eminentius salubrem lactis asinini facultatem conspectius arguit: quod ipsa caseosa, quam complectitur substantia, longe tenerrima sit, neque in crassum ac firmum coagulum abeat. Calefecimus hunc in finem asinum lac, & asperso acido, ut spissitudinem contraheret expectavimus; sed praeter flocculos paucos, tenues & sparsim sero innatantes, nihil in conspectum venit: quum contra bubulum lac, admixto acido, illico in massas densetur, quae firmiter concreverunt & ob pondus fundo adherescunt. Iam vero in cura, quae lactis ope adornatur, nihil aequae noxium ac perniciosum est, quam si hoc in ventriculo coagulum contrahit, eamque ob causam ut hoc avertatur, primaria medentis est intentio. Gravissima enim, quae factam lactis in ventriculo coagulationem subsequuntur, sunt damna, & a probatissimis auctoribus passim observata & annotata. Quare liquido patefcit, longe salubrius & medico usui multo magis accommodatum esse illud lac, quod difficulter coit, vel tenerum tantum & exiguum

B 3

spissa-

Spissamentum dimittit, cuius generis potissimum est, de quo iam agimus, asininum,

§. XI.

Quam modo in asinino lacte laudavimus teneritudinem & serosi humoris copiam; huic dos quarta eaque electissima proxime adiungenda est, quam exquisita dulcedo ipsi conciliat, & quæ tanta est, ut omnes lactis species, solo humano excepto, luperet, eamque ob causam delicatissimum saccharum, seu potius maniforme magma, artificiose longe melius & copiosius ex eo elici possit. Cepimus experimentum, & duodecim lactis asinini, Iunio mense emulsi, uncias, leni igne incoximus, ac primum unciam concreti crassamenti, admodum dulcis, obtinimus. Huic affudimus rursus in vitro conservati aquæ pluvialis libram medicam, qua crebriori agitatione dissolutum propemodum est concretum totum, relicto tantum parco in fundo sedimento. Supernatans liquamen per chartam emporeticam traiecitimus & exhalationi commisimus, eaque spissamenti melliformis, saporis mirum dulcis & coloris albi, unciam dimidiam impetravimus. Quum igitur asininum lac liberalius dulce sal intus reconditum habeat: omnino non dubitandum videtur, quin ab eo eximiam quandam medendi facultatem accipiat, quæ non expectari potest ab aliis lactis speciebus. Melleum enim hoc sal, acrimoniæ humorum, tam acidorum, quam biliolorum, contemperandæ, obtundendæ & cicurandæ egregie inservit, simulque fibras intestinales blande irritando, alvum officii admonet eamque subducit. Vnde recte HIPPOCRATES. *lib. II. de diet.* auctor est: quod lac asininum ma-

gis per alvum secedat, quam ullum aliud. Et idem gravissimus auctor, *lib. de nat. mulier.* in persanando uterino fluxu albo, primum per inferiora lactis asinini potu purgationem absolvit, & post hanc lactis bubuli usum suadet,

§. XII.

Ex his igitur, quæ hæctenus fufius de nobilissimis lactis asinini dotibus & prerogativis differuimus, intelligentium iudicio luculenter patebit: incomparabilem prorsus ipsi inesse facultatem, ad persanandos quamplurimos morbos, quos ut ordine iam enumeremus, ipsumque usum quoad specialiora exponamus, instituti ratio postulat. Quod si vero morborum censum, quibus asinum lac dicatum & æcommodum est, inimus, inter præcipuas præstantissimi huius remedii laudes, primo merito connumerandum est loco: quod phthificis & tabe consumtis, hoc, certius ac utilius, neque excogitari, neque suaderi posfit, remedium. Antiquissimus certe his in morbis lactis est usus, quem præcæ Medicorum scholæ, Cnidia æque ac Coa, propugnarunt, donec ex hac prodiret HIPPOCRATES & illustrius hunc affereret ac stabiliret, cuius auctoritatem ii, quos postera ætas tulit, unanimi suffragio sequuti sunt. Inprimis GALENVS multus est in commendando lactis ad phthisiu usu, & *Lib. V. meth. med. cap. 12.* mentionem iniicit loci, quem vocat Stabias, æris bonitate, pecudum pabulo & lactis ibi emulsi salubritate celeberrimi, in quem frequentissime confluerit, ad sanitatem recuperandam e lumbis phthificorum cohors. Quinimmo ARETAEVS, tantum lacti in gravissimo hoc morbo tribuit, ut *lib. VII.*

de

de morb. chron. non dubitaverit asserere: phthificos, si multum lactis potent, nullo alio egere auxilio.

§. XIII.

Quamvis vero omne lac phthificis & tabidis saluber-
 rima eaque optima sit medicina: asinum tamen reli-
 quis omnibus palmam præripit, dum eius usus cunctis
 indicationibus, quæ ad phthisin curandam requiruntur,
 plenissime satisfacit. Quodsi enim causam & originem
 phthisis pulmonalis paullo curatius scrutamur; utique
 ab infarctu & obstructione vasculorum, ex quibus pul-
 monum compages maxime contexta est, eadem arcessen-
 da erit. Vnde apposite non minus, quam mechanice,
 HIPPOCRATES *lib. de internis affectionibus cap. IV.* phthi-
 fici mali generationem hisce delineat verbis: *Quum pul-
 mo sanguinem in se ipsum traxerit, aut pituitam salisam,
 & non rursus dimiserit, sed in ipso coacta & compacta fu-
 erint, ab his tubercula fiunt in pulmone & suppurantur,
 ab initio & per totum morbum tussis acuta sicca obtinet,
 & rigor, & febris, & dolor in pectore & in dorso incum-
 bit, aliquando etiam in latere & erecta cervice spiratio
 vehemens incidit, deinde corrumpit pus & multum expuit.*
 Solenne quidem fuit veteribus, lactis curam in phthisi ita
 adornare ac præscribere: ut asinino nonnunquam præmitte-
 rent, nonnunquam subjungerent, pro varia cuiusvis intenti-
 one, aliud lactis genus. Sic HIPPOCRATES primo suadet
 purgationem cum lacte asinino cocto, vel etiam equinum
 lac excolatum, quod valde per simile est asinino, quotidie
 mane ad tres heminas hauriendum; postea vero, lac vacci-
 num, aut caprillum, usurpandum commendat. Et PROSPER
 ALPINVS, *de medic. meth. lib. IIX. cap. 7.* in exulceratione
 pulmo-

pulmonum & inde facta tabe, primo lactis muliebris, deinde asinini, & tandem caprilli usum, plurimum laudat. Nos autem solum lac asinum ad truculentum hunc morbum abigendum sufficere, & ratione, & experientia confirmati, assorimus. Quippe hoc, ad amurcam mucidam in tubulis pulmonum obhærescentem abstergendam, dissolvendam, propter sal dulce deterfivum quo pollet, nihil est aptius nihilque magis accommodatum. Vires præterea deiectas egregie instaurat, calorem intestinum temperat, vacuata membra replet omniaque excretoria aperta servat. Neque tamen penitus inficias imus, obstructionibus vasorum pulmonalium sublatis, ad cavitatem, quæ ab erosione & ulcere fit, replendam & consolidandam, lac vaccinum, vel caprillum, ob copiam mucidæ terræ, qua refertum est substantiæ, optimo cum fructu addi posse atque substitui.

§. XIV.

Si nostram licet interponere experientiam, in proclivi foret, plurima recensere exempla, phthysicorum, qui contumaci tussi, febre, puris & materiæ viscidæ copiosa ex pectore reiectione & incredibili corporis contabescencia afflicti, omnibus aliis fere frustra datis, tandem ex consilio D. D. PRÆSIDIS, solo lactis asinini, vel etiam vaccini, cum, vel etiam sine infuso theiformi, exhibiti, & longius extracto usu, perfecte sanitati redditi fuerunt. Sed missis aliis, recentissimum tantum & quod animo nostro adhuc obversatur interseremus. Vir quidam, triginta circiter annorum, prava victus ratione, imprimis spirituosorum ingurgatione, nec non affectuum intemperantia, primum in hæmoptysin incidit, quæ curata, quum

C

anti-

antiquum obtineret, febrem nactus est prima facie catarrhalem, sed progressu vires sumentem & ægrum diu noctuque affligentem. Accessit continuus & copiosus purulentæ & viscidæ materiæ scretus, cum extremo virium lapsu & summa corporis contabescencia, ut ossa circumferre non posset & morti ab omnibus destinaretur. Nihilominus, quum per triam ferme mensium decursum gravissime decubuisset, ineunte vere, præter omnem, nostram etiam opinionem, lacte caprillo, mane calide sumto, postquam pulveribus leniter aperientibus salino-asterivis & nitrosis, infarctui & calori hæctico occurrissemus, adspirante Deo convaluit.

§. XV.


Monendum tamen est, quod licet lac præstantissimum inter omnia in phthisi curanda remedia sit, & iusto tempore ac convenienter datum, non facile usu suo destituatur: non tamen omnis omnino phthisis eodem persanari possit, sed principiis maxime obstandum, & tum hoc subsidium in usum esse trahendum, quando ulcera non adeo callosa sunt, si cavitas & erosio non profundior & amplior, neque febris continua, sine ulla intermissione vel remissione; urget. Recte enim CELSVS *Lib. III. cap. 22.* tradit: *Si vera phthisis est, inter initia protinus occurrere necessarium est: neque enim facile hic morbus, quum inveteraverit, evincitur. Inter initia vero subiicit, sicut in omnibus longis difficilibusque febriculis, lac recte dari potest.* Et ALPINVS *l. c.* considerate monet: lactis portionem continuatam sanare posse phthificos in principio, antequam ulcera augeantur & callosa evadant.

§. XVI.

Porro quum hæmoptysis, difficilis spiratio, tabes & febricula, ab eadem caussa, nempe obstructione vasorum pulmonalium & inde obortis tuberculis, quæ malo consummato in scirrhos & exulcerationes cancrofas abeunt, & individui plerumque phtisicos pulmonalis comites sunt, originem ducant; ita his etiam malis nullum aliud & præstantius, quam usus lactis asinini, opponi potest præfidium, quod etiam ab antiquis & peritissimis Medicis magnopere semper fuit laudatum & commendatum. Meretur huc adduci insignis ex TRALLIANO locus, *Lib. VII. pag. 309.* dum ait: *quod si corpus totum alimentum non sentiens contabescere manifesto inceperit, neque thorax multum puris contineat, etiam solum lac ipsis dari debet, & asininum omnia alia antecellit, quod probe purgat.* Idem auctor lac asininum in difficili spiratione commendat l. c. scribens: *ægre spirantes asinino lacte adiutos subinde conspexi, quum opportune esset datum, omnia enim quæ pulmonum cavernis infixæ sunt, reiectione reddidit morigera.* Et de hæmoptysi l. c. pag. 304. ita habet: *omnes hæmoptyci lacte utantur. Neque enim medicamentum, aut cibus, aut aliud quippiam, adeo accommodum ipsis aut utile, quam lac: & qui per initia solo ipso constanter, longiori tempore usi sunt, omnes in totum consauerunt.* Porro addit: *novi quendam, qui cum toto anno lac bibisset & comedisset, & a vino abstinuisset, ab hæmoptysi & puris sputo liberatus fuit, ut nec postea in phtisim incidere.*

§. XVII.

Tabes cum calore febrili lento plerumque originem



nem ducit ex infarctis, vel ob'ructis vasculorum angustis, & inde exorta humorum stagnatione, siue eadem in pulmonibus, siue visceribus abdominis & partibus glandulosis, contigerit. Lactis autem asinini ea propria laus atque facultas est, ut egregie humectet, obstructa expediat, & teste *Prosop. ALPINO l. c. cap. 8.* plus refrigeret, ac refrigerando prohibeat caloris effluuium, humiditateque caloris ignei efficaciam hebetet. Vnde luculenter patet: eius convenienter institutum usum, non solum desideratissimam in omni febre lenta spondere opem, sed reliquorum etiam omnium merito esse preferendum. Quadrant huc quæ *HIPPOCRATES Sect. V. aphor. 64.* perite suad. t: *tabescentibus*, inquit, *cum febricula, lac sumere conuenit.* Idem testatur *RIVERIVS*, idque notatu digna observatione *Cent. II. obs. 78.* confirmat, memorans: quod virgo *Monspeliensis*, xxv. annorum, quæ tussi molesta, dies noctesque urgente, perpetuis vigiliis, dolore pectoris, febre lenta, alvi constrictione & macie totius corporis afflicta & diu lecto affixa fuerat, præmissa prisana laxante, postea solo lacte asinino, per mensem usurpato, plenarie convaluerit. Inprimis autem commemorabilis est casus, qui *D. D. PRÆSIDI* ante biennium circiter obtigit. Generosa quadam femina variis a multis annis detenta fuerat morbosis afflictionibus, a dimidio vero anni, nacta erat se brem lentam, cum ciborum fastidio, artuum languore, tussi sicca, insomnia, dolore circa os sacrum, urinæ ardore, copiosis nocturnis sudoribus, summa corporis macie viriumque lapsu stipatam; ita ut pedem e lecto proferre non poss. t. Incassum adhibita fuerant decocta visceralia, pulvres antihectici, stoma-

stomachica, antihysterica, resolventia & sexcenta alia: omnia videbantur conclamata, nihilque præter duram moriendi necessitatem superesse. Tandem vero, ex consilio D. D. PRÆSIDIS, adulta vere lac asininum, interpositis subinde laxante mannato, pulveribus temperantibus nitrosis & assumtis iusculis nutrientibus, cum radicibus aperientibus paratis, in usum vocatum fuit, tam felici cum successu, ut exactis vix tribus diebus, in melius verterentur omnia, extractaque ad aliquot hebdomades adhuc cura, ægra sanitati & vigori penitus redderetur, eademque per Dei gratiam adhuc læta fruatur. Ipsum casum & curationis successum pluribus commemoratum vide in D. D. PRÆSIDIS *Medicina consultat. Part. IV. Dec. II. cas. 7.*

§. XVIII.

In empyemate quoque, quod non raro a pleuride vera, eaque perperam tractata, præsertim in corporibus spongiosi habitus gignitur & ingenti quotidie puris copia per oseiectione manifestatur; mirabilem lactis asinini efficaciam deprehendimus. Quod ut eo testatius elucescat, in confirmationem placet adducere illustre exemplum a FRANCISC. VALLERIOLA *lib. v. obs. 5.* proditum. Is autem narrat: mulierem quandam post pleuritidem ingentem sputi purulenti copiam per os reieciisse, & inde totam consumptam, attenuatam, exsanguem planeque tabidam fuisse factam. Ipsum quidem detorsoriis potionibus, linctibus, & iusculis, & aliis omnibus auxiliis, illam iuvare & a pectore contentam saniem evellere tentasse, sed parum profecisse; tandem vero, quia febris non fuerit gravis, nec in hypochondriis & visceribus ob-



fructio ulla apparuerit, lac asinæ recens mulctum, adiecto pauxillo saccharo, suafisse, eoque per sesquimensum assumto, in integram sanitatem bonumque corporis habitum deductam esse ægram, ac demum post duodecim annos in puerperio obiisse. Meminit etiam D.D. PRÆSES viri cuiusdam nobilis, triginta annorum, temperamentum sanguinei, succi pleni, qui ante plures annos, quum ipse Minda medicinam factitaret, a pleuritide male curata inciderat in ingentem, tam purulentam, quam chylosam materiam per os eiectionem, per mensem & ultra durantem, ita, ut primis hebdomadibus, libram minimum unam quotidie exspueret, & mirum inde viribus deficeret & macie consumeretur. Huic quum suafisset lac asinum, & is hoc ad duos fere menses, adhibitis simul pulveribus ex lapidibus cancerorum & bolo armeniam, nec non balsamo sulphuris amygdalino, cum spermate ceti & sanguine draconis remixto, quotidie potasset, eundem, fortunante divina gratia, feliciter cum omnium admiratione ad sanitatem reduxit.

§. XIX.

Verum enim vero usus lactis asinini non tantum in morbis, qui pulmones aliaque viscera cum gravi tussi febre, labe ac tabe attentant, eximiam & plane divinam exferit utilitatem, sed admiranda etiam & exoptatissima virtute in leniendis, demulcendis ac sopiendis atrocioribus partium maxime nervosarum doloribus, e quibus qui articulis incumbunt præcipui sunt, splendet. Oriuntur articulares hi morbi, imprimis chiragra, podagra & ischiadica affectio, a sero tenui aciori, ligamentis articulo-nerveo-tendinosi, ex glandulis a Clopton Havero inventis

tis

tis, immo tunicis glandulosis, transfudantibus illapso, quod arrodendo incredibiles dolores & spasticas contractiones sulcitat, quæ postea per consensum totum systema nervosarum partium afficiendo, febrem, vigiliam, anxietatem, virium languorem, inappetentiam, inquietudinem, si paroxysmus gravior est, inducunt. In cuiusmodi rheumaticis & arthriticis passionibus, universa fere humorum massa, impuris, salis, tartareis, acris partibus est referta, quæ, licet sæpe antecedentem causam sive plethoram, sive sanguinis excretionem quandam criticam suppressam, affectuum intemperantiam & diætam inordinatam habeant: perperam tamen novaturientes quidam remotas has causas, cum proxima, salina humorum impuritate, confundunt, & sic quod neque genium huius morbi, neque remediorum agendi modum intelligant, produunt. Quippe experientiæ calculo constat: omnia ea remedia, quæ succosedulcant, salinos acres contemperant, ipsa salium spicula involvunt & omnis generis excretiones in corpore blande promovent, mitigandæ paroxysmorum atrocitatis, ipsis doloribus leniendis ac sopiendis, immo malo, si non plane inveteraverit, vel hæreditarium fuerit, penitus submovendo, egregie proficere & tantum non sufficere.

§. XX.

Inter hæc autem præter diluentia & decocta, ex temperatis radicibus concinnata, maxime eminent omnibusque superius est lac, præsertim affininum, cuius usum non heri aut nudius tertius neoterici quidam excogitarunt, sed primi Medicinæ auctores, omnesque qui eorum vestigia legerunt, magnopere commendanda-

mendarunt & gravissimis rationibus adstruxerunt. Ipse HIPPOCRATES, *lib. de intern. affect.* auctor est : ut in ischiatide primo exhibeatur purgans, & postea lac asininum bibatur. Et in eodem libro prodidit: *arthritidi confert, alvum chystere, aut suppositoario solvere & purgans exhibere, tandemque serum coctum & lac asininum propinare.* PLINIVS *l. c. sect. 9.* plurimos lactis usu ab articulari morbos liberatos perhibet. Cui assurgit, CELSVS *lib. IV. cap. 24.* scribens: *quidam etiam, cum asinino lacte potu, ex toto sese eluissent, in perpetuum hoc malum evaserunt.* Ex recentioribus Gabriel FONSECA, HOLLERIVS, BALLONIVS, BAGLIVUS, SYDENHAM, SACHS A LEWENHEIMB, GREISELIVS, PECHLINVS, DOLÆVS, WALDSCHMIDT alique plures, lac, & maxime asininum, arthriticorum & podagricorum solatium & sacram anchoram, compluribus exemplis & accuratis observationibus esse affirmant.

§. XXI.

Nos etiam plena fide testari possumus, quod præmissis lenioribus laxantibus, ex manna, sirupo rosarum solutivo adiectis absorbentibus, lactis caprilli, si non haberi potuit asininum, potum, remotis omnibus aliis cibis & potulentorum generibus, per aliquot dies continuatum, utilissimum deprehenderimus, ita, ut dolores inde & mitiores & breviores redditi fuerint, & alia consueta symptomata plane cessarint. Plures certe D. D. PRÆSES novit podagricos senes, qui asinino lacte, primis diebus tribus cum manna sumto, & postea illo solo per binas septimanas continuato, mitissimos dolores inde experti sunt; quam intermisso huius præsidii usu, tormenta essent acerbissima & contumacissima, ut per aliquot menses ægros lecto

lecto affigerent. Id vero non prætereundum: quod in omnibus hisce afflictionibus, longe facilius ac certius salutaris effectus lactis usum subsequatur, si ætas adhuc sit iuvenilis, malum non adeo inveteratum, podagra non fixa ac tophosa, neque per hæreditatem propagata.

§. XXII.

Quemadmodum igitur asininum lac præstantissimum inter omnia ad abigendos exteriores corporis partes occupantes dolores remedium est: ita non minus in iis, qui internas nerveas partes, ut ventriculū & intestina, prout in colica convulsiva contingit, infestant, usui est longe exoptatissimo. Ratio saluberrimæ huius facultatis in eo potissimum constituenda: quod asininum lac, diluendo, acrimoniam humorum biliosorum infringat ac enervet, parte serosa ac pingui constrictas fibras emolliat & laxet, & dulcioribus sui partibus alvum fluxilem reddat; quo caustica illa, dolorum scenam adornante materia, promte per ani secessum exturbata, iidem conquiescant. Quoad experientiam autem imprimis memoratu digna sunt, quæ de utilissimo lactis usu in colicis doloribus prodidit BALLONIVS *Comment. in lib. epid. pag. 98. in doloribus, inquit, colicis, iisque biliosis, lactis usum valde contulisse vidi. Et tametsi Hippocrates lactis usum interdicit, dum sunt deiectiones biliosæ; tamen nisi insignis aliqua sit febris, quæ corrumpit lac, ab eo abstinendum non videtur. Si enim in ventrem clysmate iniicitur, & nulla inde sequitur noxa, cur non in ventriculum iniici poterit?*

§. XXIII.

Et quum spastica nervosarum partium constrictiones,
D

nes, fere omnia illa, quæ hypochondriacis & hysteri-
 cis solennia sunt symptomata, concitent; lac utique, præ-
 fertim asininum, eandem ob causam utilissimum a no-
 bis observatum est, modo non adfit viscerum infarctus
 & obstructio, & primæ viæ pituita acida & viscida non ob-
 sessa sint. Hinc est, quod SYDENHAM *in opp. p. m.*
425. in colica sic dicta hysterica lactis usum mirifice com-
 mendat. *Mulieres, ait, aliquot, cum affectibus hysteri-
 cæ diu conflictatæ, maximeque ea specie, quam ego colicam
 hysterica appellæ, tandem solo lacte aliquandiu vescentes
 convalescere.* In ipsa autem affectione hypochondriaca
 lactis asinini, saccharo conditi & modico fennæ pulveri-
 satæ subinde deiectioni redditi, potum, ad quadraginta &
 plures dies extrahendum, *Bened. SYLVATICVS Cent. I. obs.*
65. miris dilaudat encomiis. Et quamvis HIPPOCRA-
 TES *Aph. 64. Sect. V.* lac dare prohibeat ubi hypochon-
 dria tensa sunt, hoc est, si flatibus ventriculus distentus
 est, vel abdominis viscera sanguinis infarctu turgent: at-
 tamen non semper his hypochondria detineri, sed ven-
 triculus & ei annexa intestina sæpissime ob acrimoniam
 humorum, & sanguinem in eorum vasis immobiliter hæ-
 rentem, spasticis stricturis torqueri, & his salutariter lacte
 succurri, indubia experientia edocemur.

§. XXIV.

Eadem etiam ratio subest, quare in mania ac me-
 lancholia hypochondriaca, quæ idem idem ex spasmodis,
 qui sanguinem nimium ad caput urgent, ut aequaliter &
 libere per vasa meningum volvi nequeat, originem tra-
 hunt, idem præstantissimus auctor *Cent. I. obs. 54. item
 57. 58.* lactis asinini uturam summopere collaudat & com-
 mendat.

mandat. Siquidem si hoc ipsum per mensis, & diutius adhuc, spatium, quotidie matutino tempore ad uncias quatuor vel quinque assu nitur, humores acres temperat, spasticis fibrarum stricturis leniendis inservit, alvum subducit & sic atrocis & contumacis morbi causam sensim submovendo, eundem expugnat & abigit. Quod ut eo certius eveniat, expedit deiectionem & purgantem huius lactis facultatem manna adiecta augere & intendere: id quod multoties felici cum successu a nobis factum esse testamur,

§. XXV.

Quum igitur asininum lac nervis tam amicum sit, & mulcente ac lubricante sua virtute ipsorum affectionibus iam enumeratis eximie opitaletur; neququam dubitandum est, quin in aliis etiam passionibus, ubi nervosæ partes pariter afflictæ sunt & violento motu exagitantur, ut in epilepsia & convulsivis motibus, non sine fructu eius usus administrari possit. Testatur id disertis verbis laudatissimus auctor SYLVATICVS l. c. & nosmetipsi idem confirmatius asserimus. Plurimis enim exemplis confirmatam habet saluberrimam hanc facultatem D. D. PRÆSES, e quorum numero notabilis imprimis est casus, quem ante biennium in nobili quodam puero, quatuordecim annorum & vegeti admodum ingenii, vidit. Is improvise quodam terrore percussus, subito convulsivis artuum, pedum nempe & manuum, tractionibus comprehendebatur, & cum præcedente anxietate præcordiorum animique deliquo, gravius torquebatur, ita, ut paroxysmus interdum alternis, interdum etiam singulis diebus, vespertino maxime tempore, vel etiam nocte, appeteret

D 2

& per

& per duos menses ægrum affligendo eundem viribus exæret. In consilium vocati plurimi Medici, adhibita plurima medicamenta, malum vero omnia eluserat, donec tandem sumto quotidie matutino tempore ad uncias tres asinino lacte, nonnunquam manna sociato, & balneo aquæ dulcis alternis diebus tepide usurpato, interposito simul usu pulveris antepileptici, intra mensem atrox morbus superaretur, & æger pristinae sanitati & corporis firmitudini, Deo favente, redderetur.

§. XXVI.

Accedunt gravissima illa pathemata, quæ scorbutico malo complicantur, uti sunt atrophia, lancinantes & spastici dolores artuum, nec non erosiones & exulcerationes partium externarum. Hæc omnia sicuti nonnisi humorum summæ dyscrasiæ, & ob sufflaminatum ac imminutum saluberrimum illud excretionum naturalium, quæ fiunt per sudorem & alvum, negotium, ac ipsius biliosi humoris in hepate secretionis defectum, obortæ, falso - sulphureæ impuritati, nec non nimia eorundem spissitudini legitimum progressum retardanti & vaporum minima obstruenti, originem debent: ita certe, ad meatus oclusos referandos, obstructions expediendas, acrimoniam humorum contemperandam, eorumque tenacitatem emendandam & dissolvendam, nihil aptius est diluentibus, humectantibus, refrigerantibus, sero videlicet lactis caprilli, vel, quod huic etiam palmam præripit, lacte asinino. Luculentum huius saluberrimæ in lacte reconditæ virtutis testem citamus optimum qui de scorbuto scripsit auctorem, EVGALENUM, qui pag. 62. hunc in sensum disserit: *vidi frequenter cum Letiore colore*

lore a morbo surrexisse, qui lacte & lacticiis in scorbuto
 nisi fuerunt, quam qui ex Medicorum præscriptis vixerunt;
 & quosdam recenset, qui lactis usu in scorbuticis febribus,
 in quibus tamen ex præscripto HIPPOCRATIS in
 aphorismis interdictum est, convaluerunt. Nos pariter
 ex multiplici D. D. PRÆSIDIS experientia, quamplurima
 allegare possemus exempla arthritide vaga scorbutica,
 endemio Westphalorum morbo, laborantium, quos
 ipse, quum olim Mindæ medicinam faceret, lactis, vel
 asinini, vel alius usu, ab eadem penitus liberavit: nisi in
 re tam clara exemplorum farragine fidem præstruere
 supervacaneum foret.

§. XXVII.

Et quum scorbutici ac senes, quorum ætas ad dyscrasiam humorum falsam & impuram admodum proclivis est, nec non ii, qui venereo inquinamento infecti sunt, sæpius ulceribus mali moris & ad canceri naturam accedentibus infestentur; profecto in hisce gravibus vitiis, non certius & præsentius, quam in lacte asinino eiusque ferro auxilium est. Quod, quemadmodum ob rationes superius allatas fieri certum est: ita de præstantissima hac lactis asinini facultate uberrima exstant auctorum, veterum æque ac recentiorum, testimonia. Ipse DIOSCORIDES *lib. II. cap. 75.* in universum in omnibus exulcerationibus, tam internis, quam externis, in summo cutis pruritu, papularum eruptione & vitiatis corporis succis, lac, addito melle crudo vel sale, miris encomiis ornat. GALENVUS quoque *lib. X. de simpl. medicam. facult. cap. de lacte,* asininum lac commendat ad ulcera uteri, renum, vesicæ & pudendorum. Quibus accedit SYL-

VATICVS *Cent. IV. conf. 66.* fidem faciens: quod non solum lacte asinino, trigestes vel quadragesies potu, cancris cervicis uteri tumorem feliciter subegerit, sed etiam quod idem lac, in ulcere gallico, cum tabe & febre lenta coniuncto, exoptato cum successu usurpaverit. Quinimmo idem gravissimus auctor, *Cent. IV. conf. 100.* ad elephantiasin, Herculeum illum morbum, persanandum, hoc praesidium magnopere laudat: *in elephantiasi*, inquit, *accommodatissimum remedium est lac asininum eiusque potus, quotidie mane ad libras duas, cum saccharo & cremore tartari, quo deiectorium fiat.* PARÆVS quoque *in Chirurgia lib. VI. cap. 28.* saluberrimam & utilissimam efficaciam lacti asinino, experientia edoctus, tribuit, in iis, qui cancris ulcera gestant, ad acrimoniam humorum corrigendam, tam interne ad potum, quam externe, ad fomenta, usurpato.

§. XXVIII.

Denique in enarratione nobilissimarum virtutum, quibus lac asininum splendet; ceu praecipua non praetermittenda viderur illa, qua senibus non solum tanquam utilissima medicina auxilio est, sed etiam ut accommodatissimum ad vires reficiendas alimentum inservit. Quod si enim medicamentosam eius ad senium sublevandum facultatem dispicimus; iam alibi D. D. PRÆSES latius deduxit, provec̄ta ætate, ob excretoriorum vaporumque factam angustiam, sanguinem omnesque humores eminentem dyscrasiam & impuritatem contrahere, & ex hac demum varios propullulare morbos, quos inter maxime atrophia, languor virium, marasmus, seu lenta febris, nec non pruritus, eminent. Hisce vero omnibus

in omnibus egregie lac, opportune datum, opitulatur: eo-
 que nomine etiam nunquam non, a veteribus æque ac
 recentioribus, magni habitum fuit: quippe quod,
 humores spissifcentes fluxiles reddit, falsos & acres diluit,
 strictas & rigidas fibras laxat, & excretionum turbata-
 rum successum revocando, succos a sorditie non solum re-
 purgat, sed etiam bonos ac laudabiles ingenerat. Suffe-
 cerit in præsentiarum in confirmationem citasse TRAL-
 LIANVM, qui *lib. XI. pag. 729.* senibus marasmo labo-
 rantibus asinini lactis usum insigniter commendat, &
 quidem hanc ob rationem, quia vires habent imbecilles,
 nec alimentum possunt attrahere, neque in corpus distri-
 buere, itaque lac muliebre primum, secundum vero locum
 asininum obtinere.

§. XXIX.

Si nutritivam & analepticam lactis asinini vim, qua
 tam senio, quam morborum atrociam a viribus defectis,
 præsidio est, pensitamus; eo minus hanc ulli dubiam
 fore putamus, quo magis patet, huic præstantia nullum
 aliud lactis genus esse æquiparandum, & quo maior est
 numerus eorum, qui illud hoc nomine unanimi suffra-
 gio concelebrant. Erit vero utile non minus quam gra-
 tum, gravissimorum auctorum hac de re percipere testi-
 monia. Primum sit HELMONTII elogium, qui licet
 alias iniurius admodum sit in lactis usum; asinino
 tamen *lib. de digest. alim. pag. 179.* virtutem peculiariter
 reficientem & recreantem, nec non nutrientem, adscribit,
 existimans asinam, quatenus longæva, lac cæteris ani-
 mantibus præstantius præbere, dum archeum, longæva vita
 donatum habeat. Euryphon, referente HERODOTO, ad
 refi-

reficiendum senum & extenuatorum corpora tantummodo in lacte asinino fiduciam habebat. Novit etiam D. D. PRÆSES quendam militiæ præfectum, venerea lue & diris dolorum tormentis per plures annos mirifice excruciatum & penitus ferme emaciatum, ex lactis asinini usu, exoptatissimum solatium & allevamentum percepisse. Quinimmo HEVRNIVS, in *aphor.* 64. *sect.* V. lac hoc senium & rugas tollere meminit. Qua, formæ lenociniis studentibus accepta lactis asinini efficacia, inducta procul dubio fuit Poppæa, digna Nerone uxor, ut centum semper asinas aleret & in comitatu duci imperaret, quo harum lacti quotidie in balneo immersa, cutis candorem, mollitiem, lævitatem ac nitorem servaret.

§. XXX.

Exposita sic nobilissima asinini lactis facultate & præstantissima variis in morbis utilitate: superest adhuc, ut ipsum exhibendi modum attingam, & postea ea, quæ ad dextrum curationis successum necessaria sunt, præcipiam. Antequam vero quæ de usu tenenda tradamus, hæc de animali e quo lac petitur monenda habemus. Eligenda est lactaria asina sanissima, non nimis annosa, sed mediæ ætatis, nec nimis pinguis, nec nimis macra, & quæ mense Maio peperit. Hæc non domi nutrienda est, sed ruri, in viretis herbis medicatis obfita. Potus sit aqua fluvialis, quæ subtilior ac levior est, emunctoria quoque expeditius transit & humores intime perluendo eos puriores reddit, quam quidem fontana. Elegans quoque HELMONTII *l. c.* hanc in rem est monitum, præcipientis: ut asina instar equorum quotidie pectinetur, quia ex lacte statim dignosci possit, an asina isto mane pexa fuerit

fuerit nec ne? hanc procul dubio ob rationem, quod si strigili ducantur animalia, transpiratio auctior reddatur, & pluribus excrementitiis falsis partibus sic exhalantibus, humores puriores fiant.

§. XXXI.

Porro etiam ipsius pabuli, quo asina nutritur, ratio habenda: eo quod a diversa alimenti, quo animalia vescuntur indole, lac quod præbent, dissidentem quoque naturam & facultates sortitur, ut salubrius vel insalubrius, immo certis morbis magis accommodatum sit. Etenim quemadmodum pervulgato & domestico exemplo constat, quod medicamenti, tam purgantis, quam alterantis, nutrici oblato, virtus lacti insinuetur, & unacum hoc in infantem transfundatur: ita, quin idem in animalibus, quorum lacte fruitur homo, succedat, non est quod dubitemus. Probat hoc maxime GALENVS lib. III. *de aliment. facult. cap. 15.* exemplo caprarum scammonio aut tithymalo pastarum, quarum lac est catharticum. Idem sentiunt DIOSCORIDES lib. II. *cap. 62.* & HIPPOCRATES lib. VI. *epid. & Aphor. 64. sect. V.* Et Acta Hassnien-sia Vol. II. fidem faciunt, quod absynthio copiosius sumto, lac redditum fuerit amarum. Hinc est, quod COEL. AVRELIANVS lib. IV. *cap. 3.* in passione cœliaca commendat lac, ubi capræ lentisco, vitis foliis, vel quercus aut salicis, polygoni, plantaginis, aut horum similibus fuerint nutritæ, rationem addens: *quia constrictiva harum herbarum qualitas, in qualitatem lactis influit.* Inprimis autem notabilis intercedit differentia inter lac, quod verno tempore, e viridi pascuo, & inter illud, quod hieme, e sicco pabulo elaboratur. Testis est peritissimus rei rusticæ VARRO lib. II. *cap. II.* conceptis verbis scri-

E

bens:

bens: lac, quod ab hordeo fit, & stipula & omnino arido & firmo cibo pecude pasto, id alibile est, ad perpurgandum vero id, quod a viridi pascuo. Et DIOSCORIDES l. c. cap. 75. venum lac dilucius æstivo iudicat, & quod e viridi pascuo est, alvum magis emoliat. Ex quo dilucide patescit, lactis in genere, & maxime asinini curam, non solum tempore vernali commodissime institui, sed etiam ipsius lactis salubritatem adversus certos morbos, per pabulum posse admodum intendi & singulis specialius accommodari. Quare etiam auctor sum, ut asinæ, cuius lac ad curam adhibetur, pro nutrimento obiciantur eiusmodi herbæ, quæ ad morbum, quem curandum suscepimus, virtute apprimè specifica gaudent. Sic in phthisi, pulmonum & pectoris affectibus veronica, hedera terrestris, urtica mortua, tussilago, scabiosa, & si consolidatio molienda, fanicula, anserina, nummularia, consolidida maior, flores hyperici, alchimilla, polygonum & similia inter pabula offerri possunt, vel animal eo agi, ubi sponte pullulant. In doloribus & spasmodis, tam internas, quam externas partes excruciantes, expedit pascui loco nonnunquam obicere millefolium, flores chamomillæ, acaciæ, ulmaria, tiliæ, meliloti, horminum, malvam, altheam & alia huius census. In lentis & hecticis febribus, præter ea, quæ in pectoris affectibus ex usu esse diximus, plantago, prunella & scabiosa cum scordio addi poterunt. Si hypocondria obstructa & inde exorta humorum impuritas scorbutica, ex aperientium classe seligendæ species, cuius generis sunt, fumaria, centaurium minus, absinthium, scabiosa, trifolium fibrinum, beccabunga, nasturtium, sedum minus, cum aliis. Et hoc modo etiam in aliis morbis, pro medentis

tis intentione & iudicio, congruis, tam herbis quam floribus, ipsum lac medicamentosum magis reddi, eiusque usus ad speciales effectus dirigi poterit.

§. XXXII.

Ipsa n autem utendi rationem ac methodum quod attingit; hiseandem comprehendere regulise re visum fuit. I. Omni quidem tempore necessitate urgente lac asininum propinari potest, commodissime tamen & efficacissime, vernali & æstivo, quo omnis generis herbae succo turgent, & ab asinis devoratae, lacti nobiliorem facultatem inferunt. II. Lac ubere exprimendum in mulctrale aquae ferventi impositum, illico lagenae angustioris orificii indendum, obraculo muniendum & tepidum sic successive bibendum. Quemadmodum enim omnibus liquoribus subtile æthereum, roborantis & analepticæ virtutis elementum innatat: ita eiusmodi etiam lacti inesse, extra dubitationis aleam positum est, quod ne cum calore sese subducat, hoc pacto providendum. Vnde procul dubio GALENVS *lib. V. meth. med. cap. 12.* inculcat: ut lac recentissime mulctum animali, adhuc ægro lectove eius adstante, bibatur: quippe cuius natura tam facile ab aere alterabilis sit, quam seminis. III. Tempus diei potationi maxime opportunum est matutinum, quo, vacuo ventriculo, celerius & efficacius operationem exsequitur, neque hanc ob causam, nisi elapsis quatuor vel quinque horis, cibus in prandio assumendus. Sunt tamen horae etiam pomeridianae, si circumstantiae repetitum usum suaserint, non alienae potui: ita tamen, ut digestionem peracta, horis circiter quatuor, post prandium, dimidia tantum eius, quae mane pota fuit, mensurae portio, bibatur. IV. Lactis hauriendi copiam generatim exacte definire



nire in difficili est, ob diversam ætatis rationem, multiplicem corporum habitudinem & discrepantem morborum genium. Non facile tamen ultra tres libras medicas, quæ mensuram civilem circiter æquant, ascendendum. V. Temporis spatium usui impendendum, morbi indoli eiusque contumaciæ accommodandum, quæ si maior est & obstinatio, ad duos aut tres menses, vel diutius adhuc, cura extrahenda erit: in primis si spes optati successus affulserit, & vehementia symptomatum sensim remittere inceperit.

§. XXXIII.


Interim tamen prudentis & solidiori, tam doctrina, quam experientia, instructi Medici erit, lactis huius usum ita disponere, dirigere ac restringere, quo feliciter cedat, neque spes concepta fallatur & incommoda oboriantur. Erit itaque perutile quasdam eum in finem curiose tenendas ac observandas cautiones subiungere. I. Antequam lactis potatio instituat, ventriculi ratio habenda & studiosè dispiciendum: utrum is lac ferat, ac eiusmodi robore polleat, ut illud concoquere, digerere iterumque expellere possit. Quod si enim atonia laborat, flatibus & pituita viscida turget, vel acidorum humorum sentina scatet, nunquam lac propinandum, eo quod his prius non emendatis aut sublatis, illud stagnando acorem suscipit, corrumpitur & flatuum cum anxietate incremento favet. Quare expedit ante lactis curam, ventriculum & primam regionem, vel inferne blando laxante manato, vel, si conditio ferat, superius, adiecto tartari emetici uno vel altero grano, a collecta intus saburra deplere ac repurgare II. Curiose providendum est, ne lac in coagulum abeat; eaque propter ubi alimenta, sicuti in senibus & plurimis hypo-

chon-

chondriacis solenne est, in ventriculo facile coalescunt, tam ante, quam inter eius usum absorbentia, terrea, alcalina, cum ipso lacte, subiuncta essentia stomachica carminativa, vel sale volatili oleoso, exhibere consultum est. III. Quando per sex vel octo dies æger potationi indulget, remedium quod alvum ducat mannatum interponendum, quo collectæ interea in ventriculo & intestinis sordes, e corpore proscribantur, ne ulteriori lactis usui obstant. IV. Præstat lac sub initio parcius, ad tres vel quatuor uncias, haurire, ac in copiam magis liberalem ascendere, ne ventriculus nimium simul ac semel obruatur, neque nausæam contrahat & labefactetur. V. Conveniens victus ratio habenda est sub lactis potu, & tenui potissimum diætæ studendum, vitando non solum cibos concoctu difficiles, sed etiam nimis nutrientes carnes, cavendo ab opsoniis flatulentis, horæis fructibus omnibusque acidis, abstinendo ab omni cerevisiarum potu, nec non vino, excepto modico tantum Hungarici aut Hispanici usu: neque etiam conducibile est, pane farreo confermentato vesci, sed similagineus potius eligendus.

§. XXXIV.

Ultimo loco placet nonnulla subiicere, quo perspicuatur, quibus lactis usus minus conveniat. Si dolor capitis ex ventriculi cruditatibus affligit, si febris valde acuta est, viscera abdominis sanguine crasso turgent; lac utique iuxta prisecum HIPPOCRATIS monitum propinare periculosum est. Neque enim lactis potatio nimis frigidum & acido obsessum admittit ventriculum, neque nimis æstuantem, qualis est in febre & ubi biliosus nimis redundat humor: inde enim facile in nidorofam putredinem



dinem fatiscit & corrumpitur. Nunquam etiam cum bonis ægri rebus lac exhibetur iis, qui ex intermissa venæsectione, vel suppresso aut plane desinente hæmorrhoidum vel menstruo fluxu, nimia & præternaturali sanguinis abundantia, & inde oborta humorum sorditie laborant; & apprime huc quadrat illud divi Coi: *corpora impura quo magis nutriveris, eo magis læseris.* Nisi enim conveniente sanguinis missione superfluum subtrahatur, & universam humorum massam repurgantibus medicamentis cacochymia tollatur, ab omnibus lacticiis est abstinendum.

§. XXXV.

Tantum est, quod in præsentis specimine inaugurali, de mirabili lactis asinini in medendo usu, commentari placuit, & pro instituti ratione licuit. Id certe ex omnibus his intelligentium iudicio luculenter patere arbitramur: amplissimam esse domestici huius remedii utilitatem, summam virtutem & tam præstabilem facultatem, ut eius usum omnes medentes merito sibi habeant commendatissimum.

NOBILISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

FRIDERICVS HOFFMANNVS.

Pletatem ad omnia utilem esse, divina omnibusque quidem notissima, sed a paucis observata, usutamen & experientia comprobata est veritas. Vix veroulla disciplinarum & artium est, quæ tam exquisitum & genuinum pietatis studium a cultoribus suis exigit, & inde tam eximiam utilitatem sortitur, quam ea, quæ soluti mortaliū invigilat, Medicina. Quippe, constat quidem solidiori
medi-


medicae scientiae sua laus, & in hac consequenda assidua utique ponenda est opera: at vero, qui spreta sanctitate & religione, doctrinis tantum haerentis avidius inhiat, in vanum nititur, in Deum iniuriatur, sibi damnosus aliisque parum utilis. Qui enim posset digne & cum bonis agrorum rebus artem exercere, quae auctore Deo, hunc unice sibi praefixum habet scopum, ut hominem in Conditoris gloriam salvum & longævum servet, is, cui nec ara, nec fides, sed ea praecipua sollicitudo est, ut questum faciat? Qui, exoptato cum successu his uteretur instrumentis ac praesidiis, quae quicquid salutaris obtinent ac praestant Creatoris sui benignitati debent, is, qui abiecta sanctiori veri boni cura, fortunante divina gratia destituitur? Cæcum certe esse oportet & pertinacius obfirmate indolis, qui dum iugiter ea tractat, quae omnipotentia, sapientia, bonitatis ac providentiae divinae vestigia luculenter expressa exhibent, eos non perducitur, ut Deum agnoscat, veneretur, colat & ad eius gloriam omnia referat. Is autem, cui non fucatus Numinis cultus cura cordique est, sufficientem quidem necessariorum scientiarum & eruditionis apparatus sibi comparat; sed unum illud necessarium cunctis anteponit, quorum tutandam suscepit salutem, non persunctorie & lucri causa, sed amore ingenio ipsiusque conscientiae dictamine ductus, quam studiosissime rationem habet, in ipso pharmacorum usu & delectu cautissimum sese, ne noceat, gerit, omniaque quae molitur, ita adornat, ut suffragatione divina utatur. Et hunc nescit deseruisse Deus, sed eius conamina secundat consiliisque prosperum largitur successum. Huius, tanquam viri probi, fidei ac cura confidentius sese committunt aegri, omnesque eius res, in maius semper & melius provebuntur. Quae quum ita sint: est sane de quo impense gaudeam, & amplissima de Te, Candidate praestantissime, mihi aliisque pollicear, qui Medici & religi si, & docti, partes ex plere laudabiliter huc usque annis es. Tu nim duriorum & asperiorum illam sortem, qua per plures annos pertinacius pressus es, ita in maximum Tuum commodum convertisti, ut eadem ad certissimum calamitosorum praesidium, Deum, de luci Te patereris, eiusque paternae bonitati innixus, latiora insistentio expectares, ac interea omnia Tua ita perficeres, ut pietatis studio tibi nihil esset antiquius, illudque quamdiu in hac Academia commoratus es, unacum eximia in percipiendis artis salutaris praecipis solertia, non tam verbis, quam factis, approbasti. Neque candida, quam aluisti spes, in irritum ceci lit. Posteaquam enim tantum Te ex disciplinis nostris hausisse putasti, ut utiliter ipsius ar-

tis exercitio manum admovere posses, auspicio divino illud pariter
 aggressus es, & fortunam tam fauricem in eo expertus es, ut agris
 & consilio & auxiliis felici cum successu per aliquot annorum decur-
 sum inserviando, Tibi liberaliter suppeteret, unde viam sustentare,
 donec tandem exoptati coniugii vinculo, ex adversa fortuna flu-
 ctibus penitus eluctareris. Iam etiam huc appulisti, ut propositum
 diligentia & frugi hominibus summum premium, adipisceris,
 quod eo minus Tibi denegare potuimus, quo maturiores in arte nostra
 profectus nobis exhibuisti. Nihil igitur superest, quam, ut Tibi, Vic
 nobilissime, de exantlatis & studiorum & calamitatum laboribus,
 novisque quibus exornaberis honoribus ex animo gratuler, conceptis
 votis exoptans, ut summum Numen ulterius Tibi gratia atque auxilio
 suo benigne adesse velit, omniaque Tua feliciter parro cedere iubeat,
 quo fructus inde in Te aliosque redundet uberrimus. Ceterum, uni-
 cum adhuc, de quo Tecum agam, habeo. Attulisti Tecum mihi que tra-
 didisti specimen, complectens quasdam annotatas abs Te observatio-
 nes, de perversa medicatione Acesis cuiusdam, unacum promerita
 censura, proprio Marte elaboratum, simulque petisti, ut limatum il-
 lud, & additis, que adhuc desse putarem, dissertationis inauguralis
 loco, meo sub presidio, solenni in cathedra examini Tibi subiicere li-
 ceret. Verum, licet omnia que consignaras vera esse deprehenderem,
 ipseque Tibi assensum praberem: ita tamen & hac mihi comparata
 visa fuit veritas, ut gravius odium certo paritura foret, tam illius,
 cuius delicta apertius arguebat, quam aliorum, ipsi impensius fa-
 ventium. Quare auctor Tibi existi, ut consilium mutares, inimi-
 citias declinares, & pacis studio, errores publice non notares, ipseque
 Tibi eiusmodi argumentum obtuli, quod utilitate presteret & tan-
 quam obsoletum superciliose neglectum, dignum esset, quod penitus
 excuteretur. Quod, quum meo hortatu, iam cum laude defenden-
 dum in Te susceperis: id omnino fructus exinde feres, ut bonorum
 favorem merearis, invidos autem hac Tua mansuetudine ad sani-
 orem mentem traucas. Ego vero, si ulla in re commodis Tuis in-
 servire potero, me vicissim desideriis Tuis non desuturum fore, spou-
 deo. Vale. scrib. in Fridericiana. IX. ante Kal. Sextil.

clj lccc xxv.

EN! TIBI nunc meritas laudes largitur Athena
 Et coma Pæonii symbolum honoris habet.
 Grator ovans: ferat Ipse DEVS medicamina certa!
 Per multos ægros Teque medente iuuet!
 Sic Medicus fulges, Morbonæ dulce levamen!
 Sic aliis Doctor, sic TIBI Doctor eris!

Michael Alberti.



EXceptum gremio postquam, DOCTISSIME
 BVRGGRAF!
 TE bene nutrit lacte Minerva suo;
 Lactea nunc medicæ doctrinæ flumina spargis,
 Doctoris certe flumina digna gradu.
 Perge! TVAM sic cognoscat Via Lactea famam,
 Id quod cum multa prosperitate procor.

Georgius Daniel Coschwitz.

M, D, P. P. O.

Michael Alberti
S. 111

Georgius Daniel Goldwin
S. 112



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

